...dus

...Moschoviae

Vitellii Iacobi: Panegyris Serenissimo Wladislao Sigism. feliciter e bello Turcico redeunti. 1621.

PANEGYRIS

SERENISSIMO

WLADISLAO

SIGISMVNDO,

Dei Gratia Poloniæ & Succiæ Principi:

Electo Magno Duci Moschouiæ,

Smolenscen. Seuerien. Cernkouien. Ducatuum Administratori:

Feliciter è

BELLO TVRCICO REDEVNTI,

&

Academiam Crac. ipsis Nonis Decemb. inuisenti.

à

M. IACOBO VITELLIO Collega Minore Ordinario Eloq. Professore.

Impensis G. D. Bartholomęi Nowodworski.

CRACOVIÆ,

In Officina Matthiæ-Andreouieusis, A. D. 1621.

1460.

Te florente virebo.



Sarmatiæ tantumdem estis fælicia regna.
Donec erit vestris iste maniplus agris.

Ode Dic. Tetr.

REgum ſceptrigerorum plaga quos videt
Arctoa, in geminis atq; Trionibus
O præſtans Decus, & ſanguine ab inclyto
Diuorum Iagelonide.
Quid pro te incolumi, ſoſpitibus Dijs,
Fortunæq́; Bonæ, noſtra Academia
Quid dulcis voueat patriâ, tam fero
Conſeruata periculo.
Harpijs implicitus terga furentibus
Regnorum ille vorax helluo, dum viam ad
Florentem Heſperiam, Sceptraq; cætera
Affectat ſtolidè nimis:
Per noſtrum latus hoc, noſtraq; viſcera,
Tàm ſtultè appetijt; primaq; ianua hæc
Effringenda fuit, barbaricaq; ope,
Ferratæq; Aſiæ manu.
Nos prima Oſmanio pabula fulmine
Conſumenda parabamur; at ille nos
Immunes malo ab hoc, ille Deus tuo
Tectos præſidio extulit.

Senſit Danubij ripà binominis
Sub quantis gemeret molibus, agmina
Monſtroſosq́; greges, quantùm ageret, ſcelus
Intra ſe malè murmurans

Diuorumq́; hominumq́; ille nefarius
Exturbator: ita vt ferrea ſpiculis
Et ſolem ex oculis eriperet ſeges
Et cælos quateret metu.

Sed vis conſilij neſcia, corruit,
Seſeq́; in laqueos inſeruit ſuos:
Impingenſq́; truci in naufragio, amplius
Spes non promouet impias,

Noſtris affuerat ſacra periculis,
Affulſitq́; malis, Lux Iagelonia,
Seclo Sarmatiæ progenita aureo,
Et nubem armiferam, malo

Gradiuo grauidam, Threïjciæ expulit
In ſpelæa, ſui ſanguinis ebriam,
Poſcentem opprobrio fædera cum ſuo, &
Quam fregit ſtolidè fidem.

O quæ lautà diem hunc mactet adorea,
Aut quæ thura ſacris ſufficient focis;
Plaudenti quis erit lætitiæ modus,
Fracto Threijciæ impetu.

Noſtrorum inualidis agmina viribus,
Imbellesq́; manus, peſſimè vt autumant,
Incenſi properè, de ſtationibus
Irarum ſtimulis ruunt:

Caſtrorumq́; aditus, primaq́; limina
Conuellunt, animis Marte furentibus,
Incumbuntq́; crebris arietibus dare,
In planum aggeris obijcem.

Sed prenſi veluti ſub ſtabulis lupi
Quos cæca ingluuies excierat: ſuam
Circùm perniciem, & denſa cadauera
Et truncas acies vident.

Flauentem haud aliter demetit aream
Cum tondet Cereris pinguia munera
Pubes multa, ſui & ruricolæ horrea
Stipat Triptolemi bonis

Turcarum vt didicit maximus, in ſua
Cladem barbarie, luctibus ingemit,
Et complens querulis aera quæſtibus
Diuos voce laceſſijt.

Sic illex rigidis tonſa bipennibus
Immenſâq; virûm vertice ab arduo
Vi deiecta, ruens proxima ad omnia
Horrendum eiaculat ſonum.

Verùm ingens operas lætitia occupat,
Et defuncta ſuis turba laboribus
Circum ſubſiliunt, tripudia & crebra
Forti in ſedulitate agunt.

Hæc nunquam ſatis eſt, non ſatis eſt breuis
Hæc Muſa, vt ſtudium, mentem hilarem ſimul
Et plauſum populi ediſſerat, in tuo
Obtutu inclyte Principum.

Dum Regno incolumis, dumq; Academiæ, &
Vrbi Sarmaticis Principi in vrbibus
Afflictæq, redis dum Patriæ, interim
O vindex Patriæ optime.

Longis

Longis ſe expediunt omnia luctibus
Cum plauſu & fremitu, cumq; fauentium
Ingenti ſtudio te excipiunt, ſui
Autorem & Dominum ocij.

Atq; hic ipſe tuo gratior it dies
A fulgore, tibi ſplendidius nitet
Lucis purpureæ Promus, & auream
Sol terris faciem exhibet.

Sacroſanctum etenim te ſibi cælitùs
Propugnaculum in hoc tempore, Dijs bonis
Conceſſum atq; vident, atq; ſciunt probe
Aram his caſibus vnicam.

Hoc fortunæ etenim eſt, hoc animi tui,
Infractiq; ſimul roboris, omnia
Hæc Regum egregijs ſtructa laboribus
Quod non altus habet cinis.

Quod non Sarmaticum contemerat ſolum,
Exundans latebris flamma Othomannicis:
Hoc virtute Deûm & Principis inclyti &
Æternùm memorandi habet.

Nobis

Nobis ille cruor, quo iuuenum recens
Flos vngui à Scythico, ſparſit humum, pluit,
Cuius purpureo ex imbre, per oppida
Vernat pacis amænitas.

Quantum obſtricta tibi, Maxime Principum
Et quam obnoxia ſit noſtra Academia,
Cui tanta ingenij copia, numine
Affluxit bono, vt explicet?

Cum veſtra horrificam buccina teſſeram
Bellantum & litui, raucaq; tympana
Clangenti occinerent murmure claſſicum
Et Martem elicerent ferum.

Muſarum auriculis quàm nimium vtilis
Et gratus ſonus hic, illæ acies choro
Sudant Phæbigeno, ac armiferis ruens
Æther ſæpe tumultibus.

Hoc clangore ſonant ſiſtra Poetica,
Hos inter gladios, fulmina Tullij,
Et Demoſtheneos magna tonitrua
Bellonæ in fremitu æſtuant.

His

His tantisq; Tibi ô Maxime Principum
His, nostrum excubijs, constitit otium:
Nunquam posteritas posthuma desinet
Hoc narrare nepotibus.

Sed dum perpetuis plenus honoribus
Musis sacra subis tecta, Tui quoq;
Nostris in tenebris irradians iubar
Lumen vibrat Olympium.

Fortunata sibi nostra Academia
(Quæ non nostra magis, quam tua, mancupi
Et nexu ex atauis, vsq; tuis fuit
Magnum exemplum operis boni)

Fortunata sibi, nunc merito tuo
Gestit lætitijs omnibus, vt suo
Lucem gymnasio, Sydus & vnicum
Illuxisse polo videt.

Victrix talis erat laurea Pompei
Quâ postquā in populos, Romulidûm extulit
Et famam atq; genus nobile, & vltimis
Se ostendit regionibus.

Terrarum

Terrarum ille tamen victor, & arbiter,
Fortunam, imperium, Possidij scholæ
Submisit, veluti sit capitis minor,
Qui summo propè par Ioui.

Non tam Roma suos Martigenas canet,
Nec tàm Dardanidûm Pergama Apollinem,
Aut quæ fama loquax, artifices suis
Diuos finxit in vrbibus.
Quantum posteritas nostra VLADISLAOS,
Cælo stellifero laudibus inseret,
Et vos magna Deûm stirps Iagelonidæ
Miscebit superis Dijs.
Æterna Austriacæ spes Domui, polo in
Arctoo eximium sydus, vt vltimum
Eoi venias excidium imperi
Horrendumq; Cerastem, ijs
Exturbes vtinam partibus, vt tuas
Victrices Aquilas, Magnaq; nomina
Demisso timeat poplite. Et hoc vouet,
Supplex vestra Academia.